

qui de pace cum Genuensibus agerent . Quidam Stephanum Justinianum & Marianum Maurocenum missos : alii Joannem Cornarium & Paulum Molinum tradunt . In Lugdunensi conventu rem agitatam auctores sunt quidam : alii vero Romæ de induciis actum affirmant . Inter multas condiciones , quibus utrisque est cautum , illud in primis expressum : Ne his vel illis liceret novos hostes aut socios accipere : nulli bellum inferre : aut cuiquam auxilia præstare , nisi id communi consilio fieret . Multa & magna his a Pontifice anathemata irrogata , qui neglecto fœdere aliter , quam in conditionibus esset expressum , fecissent . Blundus Forlivienſis ait , id fœdus prius percussum , quam Veneti Byzantium obsidione levassent : atque ideo creditos contra fœdera fecisse , unde postea ingens bellum inter utrumque populum sit ortum . Sed miror , illum & alios , qui id crediderunt , non advertisse , Venetos & potuisse , & recte fecisse , quod adversus Hexagonarum Regem & Joannem Vatazum arma cœpissent , suarum rerum oppugnatores . Nam & Byzantii jus quæsitum Veneti habebant , ubi publico nomine eorum erat magistratus . Cæterum & colonos habebant eo ab initio missos , quibus suorum civium fidem implorantibus , tam impium fuisset in tanto discrimine non succurrere , quam quodvis sanctissimum fœdus violare . Levantur Byzantium obsidione Veneti , quia & decuit , & oportuit eos ita facere . Nulli non enim fas est rem suam ubique , quum possit , & semper , tueri . Tam inhumanum creditur , prohibere quenquam ne a se injuriam propulset , quam injuriam inferre . Nec Genuenses ipsi , si quis eorum res oppugnatum venisset , non prius sumpsissent arma , quam Venetos , an ita vellent juberentque , consulissent . Accedit ad hæc , quod Genuenses dolo malo eo fœdere cum Venetis egisse & videri & credi potuerunt : quippe qui rati fore ut Venetos præsentis fœdere quasi vinculo aut catena quadam devinctos , tam diu ab auxilio suis ferendo consultatione , simulatoque belli apparatu remorarentur , quoad hostes , quos ipsi